



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1656

§. 112. Et ait, Rabbi. v. 45.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

Deus meus, humiliabo me coram facie tua, deprecans petitionem meam exaudire digneris, ne confundas faciem meam cum accessero ad te.

§. 112. Et ait, Rabbi. 45.

Vocat ipsum Rabbi siue Magister, Doctor, factorum Professor, tamen eius non vult esse discipulus, nimirum politicus factus est Apostolus, melleo hoc verbo virus clam immitteret, nec putaretur venire tanquam hostis. Sed, ô politice, putas te non obseruari ab omnia vidente oculo? putas dormire illum qui scrutabatur renes olim & corda? Noli hoc putare, nimis crasse agis personam politici, agis tamen ut putes, sed breui de se proturbaberis.

Domine Deus & Magister meus, video hic clare quod scholam discipulinarum tuarum reliquerit Iudas, & apostatarit à te, en ego desidero & adire scholam tuam, capio esse discipulus tuus, audire sapientiam tuam, locus vacat ergo assume me obsecro, ad te, ad disciplinam tuam, ad scholam tuam, ut erudiar à te, beatus enim quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum; non dignitatis eius gradum peto, indignum enim eo me profiteri, scio etiam eum S. Matthiam iam esse à S. Petro tuo Vicario donatum cui melius deum congratulor: affecto autem & vnicè postulo pro modo gradum humilitatis, quæ docetur in schola tua Infima, ut secure consequantur cetera dona.

§. 113. Et osculatus est eum v. 45.

Nempe palam pacem cum Magistro loquens, & occultè ponens insidias, huius fictionis figura legitur in libris Machabæorum, ubi Tryphon Princeps loquebatur cum Iuda Machabæo verbis pacificis in dolo & comprehendit eum: *Va illis qui in viam Cain abierunt, & errore Balaam mercedem effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt.* An non Iudas in viam Cain abierat tradens & fundens sanguinem non solum fratris sui innocenti sed & Domini? an non errore Balaam mercede effusus est, pro mercede triginta gentium non tantum maledicens sed & malefaciens Christo? an non in contradictione Chore perijt, in contradictione scilicet apud Capharnaum, dicentium *durus est hic sermo &c.* quorum focus fuit Iudas, Pater Sacramentarium. Attendamus ne & nos simus de eius sectatoribus, de illis qui osculo filium hominis tradunt: tales autem sunt, non solum qui pacem loquuntur cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, qualium magnus est in orbe numerus. Sed etiam tales sunt non solum qui indigne ad Sacramentum Communionis accedunt, non præmissa debita scelerum agnitione & cor-
sellis